

« Du souvenir des hauts faits des ancêtres »

Nam saepe ego audiui Q. Maximum, P. Scipionem¹, praeterea ciuitatis nostrae praeclaros uiros solitos ita dicere, cum maiorum imagines intuerentur, uehementissime sibi animum ad uirtutem accendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam uim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis uiris in pectore crescere neque prius sedari, quam² uirtus eorum famam atque gloriam adaequauerit. At contra quis est omnium his moribus, quin diuitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat ? Etiam homines noui, qui antea per uirtutem soliti erant nobilitatem anteuenire, furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur ; proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huiusce modi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur ut eorum qui ea sustinent uirtus est.

Salluste, *Guerre de Jugurtha*, préface, 4

¹ Q. Fabius Maximus, surnommé *Cunctator* (le Temporisateur) et P. Cornelius Scipion, surnommé l'Africain : deux héros romains de la deuxième guerre punique.

² *prius... quam* = *priusquam*

« La vie est-elle brève ? »

« Vitam breuem esse, longam artem »¹. Inde Aristotelis cum rerum natura exigentis² minime conueniens sapienti uiro lis : « aetatis illam³ animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena saecula educerent, homini in tam multa ac magna genito, tanto citeriorem terminum stare ». Non exiguum temporis habemus, sed multum perdidimus. Satis longa uita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur ; sed ubi per luxum ac negligentiam diffluit, ubi nulli bonae rei impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam⁴ ire non intelleximus transisse sentimus. Ita est : non accipimus breuem uitam sed fecimus, nec inopes eius sed prodigi sumus. Sicut amplae et regiae opes, ubi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur, at quamuis modicae, si bono custodi traditae sunt, usu crescunt : ita aetas nostra bene disponenti multum patet.

Sénèque, *De la brièveté de la vie*, 1, 2-4

¹ Traduction latine d'un aphorisme énoncé par Hippocrate.

² *exigo* ici : « délibérer, discuter »

³ *illam* = *naturam*.

⁴ *quam* = *eam uitam*

« Préface » du livre VI

Au début du livre VI, Tite-Live réfléchit sur la difficulté qu'il y a à proposer une histoire des premiers temps de Rome.

Quae ab condita urbe Roma ad captam eandem Romani sub regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus decemuirisque ac tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui, res cum uetustate nimia obscuras uelut quae magno ex interuallo loci uix cernuntur, tum quod et rarae per eadem tempora litterae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum, et quod, etiam si quae in commentariis pontificum¹ aliisque publicis priuatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere. Clariora deinceps certioraque ab secunda origine, uelut ab stirpibus, laetius feraciusque renatae urbis gesta domi militiaeque exponentur. Ceterum², primo quo adminiculo erecta erat, eodem innixa M. Furio³ principe stetit, neque eum abdicare se dictatura nisi anno circumacto⁴ passi sunt.

TITE-LIVE, VI, 1

¹ *Commentarii pontificum* : il s'agit de la plus ancienne forme d'enregistrement des événements de l'année ; le grand pontife était chargé de noter en marge du calendrier les événements remarquables advenus durant l'année de son sacerdoce.

² *Ceterum* (adv.) : « d'ailleurs, du reste ».

³ M. Furius Camillus ou Camille, le personnage central du livre V, qui a permis la victoire au siège de Véies en 396 av. J.-C. et a vengé l'honneur romain après la prise de la ville par les Gaulois en 390 av. J.-C.

⁴ Il s'agit de l'année 390.